

omnibus se penitus divinis manciparunt obsequiis confertur in sustentamentum, notum esse volumus tam posteris quam modernis, quod vineam quae Rodewanesberch vocatur, quam Tymo et Arnoldus fratres de Radeberch iure pheodali a nobis tenuerunt divinitus inspirati ad usus sanctimonialium ecclesiae sanctae Crucis apud Misnam in placito provinciali nobis resignaverunt. Nos vero habito consilio et multorum pulsati precibus pro remedio animae nostrae et piae memoriae patris nostri Theoderici marchionis in placito nostro provinciali Cholme ecclesiae sanctae Crucis liberaliter eandem contulimus. Ne igitur in posterum contra praefatum coenobium, cui in omnibus prospicere tenemur et volumus, ulla queat suboriri calumpnia, huius elemosynae sollempnem et legitimam donationem privilegio nostro communivimus. Testes sunt Albertus burcgravius de Dewin, Heinricus marscalcus, Cōnradus camerarius frater eius, Heinricus de Korun, Johannes de Pach, Sifridvs de M̄gelin, Bertoldus de Schidingin, Cōnradus de Bichowe, Wlferus de Pesne, Egenolfus de Lizowe, Petrus de Berlin, Albertus de Bele, Bernhardus de Kamenz, Reinhardus de Strele, Hogerus de Kassowe, Arnoldus et Theodericus fratres de Zbore, Heinricus Smalz, Albertus de Wiltberch, Sifridus villicus de villa Chrobere, Arnoldus, Hermannus, Rotzlav, Johannes, Bvrhardus, Primuzil cives villae eiusdem et alii quam plures. Acta sunt haec anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio XII. Kal. Septembris, indictione V^a, in placito nostro provinciali Cholme.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem schadhaf gewordenen Reitersiegel an rothseidenen Fäden.

No. 400. 1233. 9. Sept.

B. Heinrich zu Meissen ertheilt Bussfertigen, welche das Kloster zum heil. Kreuz am Feste der Kreuzeserhöhung besuchen und ihre Gaben darbringen, Ablass — nos, qui providentia conditoris licet inutiles et indigni in domo eius vocati sumus ad onus officii pastoralis, venerabilium patrum Brunonis decessoris nostri, Gregorii de Crescentio, Conradi Portuensis et sanctae Ruffinae episcopi, sedis apostolicae legatorum, qui ecclesiam sanctae crucis in Misna in die exaltationis eiusdem specialibus quibus indulgentiis dotaverunt, vestigiis inhaerentes de dei omnipotentis misericordia et sanctorum eius autoritate nobis a deo concessa omnibus, qui ad dictum monasterium in die exaltationis sanctae crucis humiliter convenerint et devote, et de bonis a deo sibi concessis surgentem eiusdem ecclesiae structuram adiuverint, quae sumptibus indiget et expensis, triginta dierum et unam carenam penitentiae suorum peccatorum, de quibus vere contriti fuerint et confessi, annis singulis indulgemus ad laudem gloriam et honorem illius ligni vivifici, per quod et in quo morte sua mortis herbam superavit et sanguine suo originalis peccati tersit maculas et delevit, oblati in ara crucis in sacrificium laudis perpetuae, ostia viva vera innocens impolluta Jhesus Cristus dominus noster, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum, amen. Datum in Stolpen anno gratiae M. CC. XXXIII^o. quinto Id. Septembris, indictione VII^a., pontificatus nostri anno quinto.

Nach Frenckels Collectaneen in Ursinus diplom. mon. s. Crucis p. 270 der K. öffentl. Bibliothek zu Dresden.